


5+6/87

IDIBVS IVNIIS

MCMLXXXVII



RVMOR VARIVS



TOMUS 10

FASC. 65

# RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA TVRICENSI in aedibus AKADis editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 14.--
In Germania	DM 20.--
In Austria	ÖS 140.--
In ceteris Europae terris	Fr. 20.--
In terris trans maria sitis	U\$ 18.--

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann  
Dr. Emanuel Bernard  
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)  
Barbara Maier  
Martinus Meier  
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS  
c/o AKAD  
Postfach  
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein  
Zürich-Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA TVRICENSIS unter dem Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 14.--
Deutschland	DM 20.--
Oesterreich	ÖS 140.--
übriges Europa	Fr. 20.--
Uebersee	U\$ 18.--

Einzelne Probenummern können gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Ulrich Aeschlimann  
Dr. Emanuel Bernard  
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)  
Barbara Maier  
Martinus Meier  
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS  
c/o AKAD  
Postfach  
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein  
Zürich Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

# PRÆFATIO

**De conventu annuo a sociis operis Turici mense Maio habito**

Egregii legentes,

Die XVI<sup>o</sup> mensis Maii collegae RVMOREM VARIVM edentes sessiunculam nostram annuam Turici in aedibus AKADis habuimus. Quo in conventu aderant socii nostri Dr. Emanuel Bernard Rüslikonensis, Dr. Guarnerius Fridericus Ebel(ius) Berolinensis, Danielis Weissmann Bernensis, Barbara Maier Brunnensis, Dr. Georges Durtschi Maurensis, rector scholae AKADis, qua RVMOR VARIVS semper subsidiis ailitur, et ego, qui omnes ad sessiunculam ineundam invitaveram. Hoc conventu nonnullas res maximi momenti tractavimus: Primum amicam nostram Barbaram Maier, quam doctissimam et eruditissimam auctricem permultarum symbolarum adhuc RVMORE VARIO divulgatarum optime novistis, magno applausu omnium, qui aderamus, collegio redactorum inscripsimus. Deinde ab AMICO allocutione eius Latine prolata "De cohortibus praetoriis Helvetiis Francogallicis" maxime gavisi sumus. Qua oratione audita decrevimus, ut libello futuro publicaretur, fortasse illo, quem extra ordinem solitum ad instans anniversarium decimum RVMORIS VARIII celebrandum primis mensibus anni proximi edere in animo habemus. Praeterea cetera consilia cepimus; promisit autem AMICUS se nuntium Latinum de his consiliis velut de tota sessiuncula habita scripturum esse. Quem in proximo libello legere poteritis; ego autem de hoc conventu nihil amplius addam nisi hoc unum: conventum peractum finivimus in caupona Oerlikonensi, poculantes, vino dulci gaudentes!

Quid novi in hoc libello? Vertite paginas, videte, gaudete

varissimis symbolis propositis! Curate, ut semper valeatis!  
Felices ferias aestivas vobis! Cordialiter vos saluto.

Dabam Turici, die XVI<sup>o</sup> mensis Maii a. MCMLXXXVII<sup>o</sup>

*U. Aeschlimann*

Udalricus Aeschlimann



## DE MENDO IN RVMORE VARIO 1+2/87 INVENTO

Ab AMICO certiores facti sumus de lapsu linguae horribili, infando, inaudito, quem symbolam suam "DE POMPA MILITARI MAIORE BEROLINI IN URBE LOCUM HABENTE" legens in pagina 21 Rumoris Varii 1+2/87 invenit. In illa pagina enim - sub imagine, quae pompam militarem maiorem Berolini in sectore orientali locum habentem illustrat - leguntur verba (centurionis militibus excubitoribus imperantia): "In honorem fascismi atque militarismi agite - praesentate arma!" Quae verba fortasse fascismum glorificari videntur, cum re et veritate errore typographico maxime deplorabili exorta et impressa sint: recte enim imprimere oportuit pro illis verbis haec: "In honorem martyrum fascismi atque militarismi..." Quam rectam veramque mentionem verborum insuper demonstrat eorum versio Teodisca, quae iuxta posita legitur: "Zur Ehrung der Opfer des Faschismus und Militarismus..."

De errore sive mendo sive lapsu commisso autem nos sincere excusamus!

RVMORIS VARIII domus editoria



## De cantico

De vera origine cantici "Fratres, ad solem, ad libertatem..." inter pompam militarem maiorem a cornicinibus tubicinibusque cohortis excubitorum praetoriae semper cantati.

Dum vices stationum excubitorum permutantur - convocazione peracta atque honoribus occisis bellorum mundanorum tyrannidisque Hitlerianae tributis - praefectus musicus seu magister cornicinum tubicinumque tympanistaque maior hoc incipi canticum iubet:

Brüder, zur Sonne, zur Freiheit,  
Brüder, zum Lichte empor!  
Hell aus dem dunklen Vergangnen  
Leuchtet die Zukunft hervor!

Seht, wie der Zug von Millionen  
Endlos aus Nächtigem quillt,  
Bis eurer Sehnsucht Verlangen  
Himmel und Nacht überschwillt.

Brüder, in eins nun die Hände,  
Brüder, das Sterben verlacht!  
Ewig der Sklaverei ein Ende,  
Heilig die letzte Schlacht!

Versio Latina: AMICUS

Fratres, ad solem, ad libertatem!  
Fratres, ad lucem sursum!  
Clare ex praeterito obscuro  
Praefulget futurum lucidum.

Videte sicut agmen milliariorum  
Sine fine ex nocte effluit,  
Quoad vestrum desiderium  
Caelum noctemque obruit.

Fratres, in unum nunc manus,  
Fratres, deridete obitum!  
In aevum servitio sit finis,  
Sanctum sit proelium ultimum!

Canticum autem illud a prima origine est canticum Russicum operariorum pugnatorum (Germanice: russisches Arbeiterkampflied) iam tempore ante bellum mundanum seu pancosmium I<sup>m</sup> in Russia longe lateque divulgatum. Modulus autem eius cantici erat popularis seu gentis Russicae proprius. Verba cantici illius condidit poeta Russus Leonidas Petrifilius Radin(us) (vulgo Russice: Leonid Petrowitsch Radin) iam anno fere 1896<sup>o</sup>.

Cum inter annos belli mundani seu pancosmii I<sup>i</sup> syntonarius seu moderator musicus Germanus - a prima origine Lusor violae altae bracchialis (Gemanice: Bratschist) Herimannus Scherchen(ius), die Solis seu dominico - prima feria - 21<sup>o</sup> mensis Iunii anno 1891<sup>o</sup> Berolini in urbe natus, in captivitatem incideret Russorum, ibi etiam novit canticum Leonidae Petrifilii Radini atque mente inflammatus ob elegantiam moduli verborumque cantici consilium cepit, illud canticum quam celerrime omnino fieri potuit ex Russico in Theodiscum sermonem convertere transferreque melodiamque adaptare, et re et veritate illud canticum Russicum excellenter Theodisce reddidit. Herimannus autem Scherchen(ius) fuit propugnator musicae quae dicitur novae, operam dedit numeri syntonarii seu moderatoris musici Regiomonte in (pristina) Borussia Orientali (Gemanice: Königsberg im (ehm.) Ostpreussen), Francofordi ad Moenum, Berolini in urbe patria atque Vitoduro Helvetiae. Sub finem vitae exercuit "Studium (quod dicitur) experimentale electro - acusticum" Gravesano in pago Ticino Helvetiae. Die autem Martis - tertia feria - 12<sup>o</sup> mensis Quinctilis seu Iulii anno 1966<sup>o</sup> Hermannus Scherchen(ius) Berolinensis Florentiae ad Arnun in oppido Italiae diem obiit extremum mortalitatemque explevit. Abiit melodiarum compositor inclutus, sed melodiae eius et porro in omne tempus resonabunt.

AMICUS



## De ranarum rege vel de Henrico ferreo

Olim rex ditissimus aetatem laetam degebat, erat enim pater filiarum pulchrarum. Filia eius quidem minima natu tam formosa erat, ut sol ipse puellam admiraretur. Prope regiam erat silva densa. Media in silva erat puteus altus. Summa aestate, maximis caloribus, puella persaepe in silvam se conferebat et in putei margine sedens aqua gelida delectabatur. Nonnumquam pila aurea ludebat, quam in altum iaciens libentissime manibus captabat. Erat sane ludibrium iucundissimum.

Quodam die pila aurea in puteum cecidit, et filia regis multas lacrimas effundens fortunam malam magna voce queri coepit. Tum semper lacrimans puella e profundo putei vocem asperam audivit: "Cur fles, puella?" Et puella aspexit ranam turpem, cuius caput aqua putei exstabat. Puella: "Defleo" inquit "pilam meam, quae in puteum cecidit." Rana: "Fletum absterge, puella," inquit "te adiuvabo. Quid autem a te mihi praebebitur, cum pilam tibi reportavero?" Puella: "Laeto animo", inquit, "omnia tibi dabo, velut vehicula iuncta, vestimenta splendida, margaritas, quin etiam coronam hanc, quae caput meum ornat." Rana: "Nec auri nec argenti desiderio afficior. Volo sane cibum tecum capere, poculo tuo bibere, in lecto tuo dormire." Filia ridens: "Tibi erit, quae volueris." Secum autem cogitavit: "Quam stupida est rana ista, numquam comes meus erit." Rana vero pilam e puteo prompsit, quam puella celeriter domum attulit, ranae immemor.

Postridie autem, cum puella in convivio esset, rana gradus regiae repens ascendit et trinclinii ianuam pulsans: "Aperi, puella", inquit, "fidem tuam solvere debes." Puella ianuam aperuit, sed ranae conspectu metu mota statim clausit. Tum patrem de re certiolem fecit. Qui: "Noli fidem frangere, puella, aperi ianuam." Et puella toto corpore tremens multumque lacrimans patri paruit. Rana intrat, accumbit, famem cibo depellit, tum: "Nunc dormire cupio", inquit, "te in cubiculum sequar." Puella vehementer flens: "Fac", inquit, "ut regia excedas. Te abhorreo." Rex autem: "Noli contemnere ranam, quae tibi auxilio venit. Fidem ei

dedisti." Et filia semper flens ranamprehendit, in cubiculum portavit et in angulo deponit. Sed rana: "In lecto tuo meliorem somnum quam hoc in angulo capiam." Tum puella iratissima ranamprehendit et magna vi in parietem cubibuli iacit. Nunc autem rana non iam rana est, sed iuvenis formosus, cuiusdam regis filius, qui a femina pessima lingua magica praedita in ranam mutatus erat.

Iuvenis: "Tu sane", inquit, "puella pulcherrima, e sorte iniqua me liberavisti. Cras mane tecum domum meam proficiscar. Uxor mea eris." Et puella magno amore iuvenis capta de re libenter consentit.

Postridie ambo animis laetis proficiscuntur. Raeda ornata iter faciunt. Et filii regis famulus nomine Henricus post sedem domini stat. Vir fidelissimus circulos ferreos pectori circumdederat, ne cor eius ingenti dolore motum frangeretur. Nunc quidem famulus magno gaudio effertur, nam dominum suum felicem videt. In via autem fragor magnus fit. Et regis filius caput ad famulum vertens: "Henrice", inquit, "nonne raeda rumpitur?" Henricus autem: "Non est raeda, domine, quae rumpitur, est unus e circulis ferreis, qui de pectore meo solvitur." Iterum iterumque fragor auditur. Vehiculum vero integrum est. Sunt circuli ferrei, qui de pectore famuli solvuntur. Nam domini felicitate laetus Henricus cordis vincula rumpere potest. (secundum fabulam a fratribus Grimm Germanice narratam)

Barbara Maier

## Iacobuli gesta

(fabula)

Molinarius quidam, cui tres filii erant, intestatus de vita decessit. Tum filii una conquisierunt quomodo hereditatem dividerent: Maximus natu, qui patrem in munere adiuvare solitus erat, villam, quae molam quoque continebat, sibi reservavit; secundus qui mercaturas facere cupiebat, nummos

petiit, ut navem sibi pararet cum mercibus. Quid vero minimo natu tribuerent valde haerebant. Hic autem, cui nomen Iacobulus fuit, "Pro me", inquit, "sollicitari nolite, carissimi fratres! Nam nec molam nec nummos vobis invideo, quae vos pace mea capere potestis; unum vos oro, ut mihi id tribuatis quod minimum domi inveniatur: Hoc enim Penatium patriaeque monumentum mihi profecturo erit: Pedibus enim meis libere longe lateque peregrinari in animo mihi est; itaque nullo pondere impediri volo!"

Quod audientes fratres valde gavisii sunt et quaerere coeperunt per totam domum quid Iacobulo darent. Tum maximus natu, quem pudebat omnia domestica ornamenta cum domo ipsa sibi petiisse: "En tibi" inquit "hanc relicturus sum, si placuerit, pyxidem in qua pater dilectus noster tabacum fumisugium omnemque fumificandi apparatus suum servare solebat. Pondus tibi non magnum, pretium satis bonum cum argentea sit!"

Cui Iacobulus "Tibi serva," inquit "nam aliquid minus equidem volo."

Tum frater alter, quem pudebat totum aurum sibi petiisse: "En tibi," inquit "patris horologium: Magnum non est, aureum vero est."

Cui Iacobulus "Tibi serva," inquit "neque aurum neque argentum cupio equidem, sed aliquid vere leve parvumque."

Fratres ergo ex ordine ovum, dein nucem, dein avellanam frustra proposuerunt, cum is dictitaret se aliquid minus velle. Illis rei inveniendae spem iam deponentibus, Iacobulus repente sic exclamavit: "Pisum mihi date unum: Hoc enim mihi procedenti nullo impedimento erit!" Riserunt fratres, qui secum cogitabant Iacobulum vere stulte agere. Cum vero avari essent, im imis animis gavisii sunt. Nullo igitur verbo de ista selectione facto, Iacobulo pisum in bracarum sinu condenti faustum iter ominati sunt.

Toto die Iacobulus per vias vel semitas, per agros vel silvas, per vicos vel rura, prout casu et arbitrio suo adducebatur, libere et laete deambulavit. Fungis et baccis famem, rivorum limpidorum aqua sitim sedavit haud secus ac volatilia caeli, quae Pater caelestis pascit.

Advesperascente in viculum quendam advenit, in quo cauponam rusticam petiit: In amplam culinam penetravit, in qua hospita cum ancillis cenam parabat. Tum Iacobulus, ut urbanus et bene educatus erat "Salve," inquit "domna caupona; et vos quoque, puellae, salvete! Estne apud vos ubi possim hanc noctem requiescere ego et pisum meum?" (Quae dum facit verba, pisum e sinu extractum ostendebat.)

Caupona ingenii hilaris erat. Itaque in cachinnos effusa est et "Ad pisum tuum" iocando inquit "locus sane non deest! Te vero ubi collochem nescio, nam hodie nundinae fuerunt atque omnia cubicula iam occupata sunt." Cui Iacobulus "At in stabulo" inquit "inter equos super viridi fronde libenter equidem requiescam, si modo per te liceat gratuito ibi cubare!"

Bona caupona statim adnuit. Iacobulum de piso iocatum esse opinata erat; sed hic piso in hospitae manibus sollemniter deposito "Te oro," inquit "cave ne quid detrimenti accipiat!"

Postero mane e somno iucundo et quieto expergefactus Iacobulus surrexit et ad culinam properavit, ubi caupona ad focum iam a prima luce laborabat cum ancillis. Tum Iacobulus, ut urbanus et bene educatus erat "Salve," inquit "domna caupona; et vos quoque, puellae, salvete! Venio ad pisum meum recipiendum!"

Cui bona caupona oculo altero conivens "Doleo," inquit "bone adulescens, quod pisum tibi reddere non possum. Nam gallina nostra mecum multo mane in culinam intravit, in mensam involavit, pisum tuum, quod ibi heri deposueram, voravit."

Credebat scilicet rem nullius momenti, ut erat, sic Iacobulo hanc visum iri. At ille voce ex improvise inflata "Domna caupona," inquit "tibi hoc pisum commendaveram. Quae cum ita sint, ius est, si gallina tua id mihi delevit, te gallinam mihi compensatione dare!"

Caupona primum iocum pergi credidit; dein, cum Iacobulum serio loqui intellexeret, eum maiora postulare defendit; denique, cum bona benignaque mulier esset, gallinam ei liberaliter dedit. Iacobulus, ut urbanus et bene educatus

erat, ei gratias egit atque funis parte, quam humi iactam invenit, copulam quandam confecit qua colligata gallina eum sic secuta est ut canis fidelis.

Toto hoc postero die quoque Iacobulus, quem gallina constanter sequebatur, per vias vel semitas, per agros vel silvas, per vicos vel rura, prout casu et arbitrio suo adducebatur, libere et laete deambulavit. Fungis et baccis atque rivorum aqua famem sitimque non solum suam, sed gallinae quoque sedavit; quae, ut urbana et bene educata gallina erat, ovum, ad gratias reddendas, ei invicem dedit.

Advesperascente in viculum quendam advenerunt Iacobulus et gallina, quo in viculo cauponam rusticam petierunt. In amplam culinam penetraverunt, in qua hospita cum ancillis cenam parabat. Tum Iacobulus, ut urbanus et bene educatus erat, "Salve," inquit "domna caupona; et vos quoque, puellae, salvete! Estne apud vos ubi possim hanc noctem requiescere ego et gallina mea?"

Caupona ingenii hilaris erat. Itaque in cachinnos effusa est et "Ad gallinam tuam" iocando inquit "locus sane non deest! Te vero ubi collochem nescio nam hodie nundinae fuerunt atque omnia cubicula iam occupata sunt." Cui Iacobulus "At in stabulo" inquit "inter equos super viridi fronde libenter equidem requiescam, si modo per te liceat gratuito ibi cubare!"

Bona caupona statim adnuit. At Iacobulus gallina in hospitae manibus sollemniter deposita "Te oro," inquit "cave ne quid detrimenti haec gallina accipiat!"

Postero mane e somno iucundo et quieto expergefactus Iacobulus surrexit et ad culinam properavit, ubi caupona ad focum iam a prima luce laborabat cum ancillis. Tum Iacobulus, ut urbanus et bene educatus erat "Salve," inquit "domna caupona; et vos quoque, puellae, salvete! Venio ad gallinam meam recipiendam!"

Cui bona caupona voce miserabili "Doleo," inquit "bone adulescens, et veniam a te peto, quod gallinam tibi reddere non possum. Nam sus noster, quem, postquam pulmentarium ex alveo exhauserat, in area paulisper reliqueram, in qua gallina tua cum meis grana carpebat, se imprudenter

involutans eam omnino compressam occidit: E qua nihil restat nisi fluens deliquescensque ossium tritorum cruoris-que tabes!"

Tum Iacobulus voce ex improvise inflata "Domna caupona," inquit "tibi hanc gallinam commendaveram. Quae cum ita sint, ius est, si sus tuus eam mihi delevit, te suem mihi compensatione dare!"

Caupona primum hanc esse iocosam postulationem credidit; dein, cum Iacobulum serio loqui intellexeret, eum maiora postulare defendit; denique, cum bona benignaque mulier esset, suem ei liberaliter dedit. Iacobulus, ut urbanus et bene educatus erat, ei gratias egit atque funis parte, quam humi iactam invenit, copulam quandam confecit qua colligatus sus eum sic secutus est ut canis fidelis.

Toto hoc tertio die quoque Iacobulus, quem sus constanter sequebatur, per vias vel semitas, per agros vel silvas, per vicos vel rura, prout casu et arbitrio suo adducebatur, libere et laete deambulavit. Fungis et baccis atque rivorum aqua famem sitimque non solum suam, sed suis quoque sedavit; qui, ut sues parum urbani et male educati reputantur, modo rustico grunniit dum pascitur.

Advesperascente in viculum quendam advenerunt Iacobulus et sus, quo in viculo cauponam rusticam petierunt. In amplam culinam penetraverunt, in qua hospita cum ancillis cenam parabat. Tum Iacobulus, ut urbanus et bene educatus erat, "Salve," inquit "domna caupona; et vos quoque puellae, salvete! Estne apud vos ubi possim hanc noctem requiescere ego et sus meus?"

Caupona ingenii hilaris erat. Itaque in cachinnos effusa est et "Ad suem tuam" inquit "locus sane non deest! Te vero ubi collocem nescio, nam hodie nundinae fuerunt atque omnia cubicula iam occupata sunt." Cui Iacobulus "At in stabulo" inquit "inter equos super viridi fronde libenter equidem requiescam, si modo per te liceat gratuito ibi cubare!"

Bona caupona statim adnuit. At Iacobulus suis copula in hospitae manibus sollemniter deposita "Te oro," inquit "cave ne quid detrimenti hic sus accipiat!"

Postero mane e somno iucundo et quieto expergefactus

Iacobulus surrexit et ad culinam properavit, ubi caupona ad focum iam a prima luce laborabat cum ancillis. Tum Iacobulus, ut urbanus et bene educatus erat "Salve," inquit "domna caupona; et vos quoque, puellae, salvete! Venio ad suem meum recipiendum!"

Cui bona caupona voce miserabilissima "Valde doleo," inquit "bone adulescens, et veniam maximam a te peto, quod suem tibi reddere non possum. Nam filia mea, ut diligens et benigna puella est, suem tuam ad propinquum flumen, ut sitim sedaret, primo mane adduxit. Filia vero parvula macricula, sus robustissimus ponderosissimus. Itaque illa hunc in ripa lapsum et fluente flumine raptum retinere non potuit: Necatus est - heu! - sus tuus; ne corpus eius quidem tibi reddere possum!"

Tum Iacobulus voce ex improvise inflata "Domna caupona," inquit "tibi hunc suem commendaveram. Quae cum ita sint, ius est, si filia tua eum mihi delevit, te filiam mihi in matrimonium compensatione dare!"

Caupona primum hanc esse iocosam postulationem credidit; dein, cum Iacobulum serio loqui intellexeret, eum maiora postulare defendit; denique, cum et bona benignaque mulier ipsa esset, et filia, quae inter famulas in culina stans haec audierat, Iacobulum hilariter arridens conspiceret, filiam ei liberaliter sponndit, cum praeterea in mentem ei venisset adulescentem tam acuta mente praeditum meliorem esse quam divitem stultum. Iacobulus, ut urbanus et bene educatus erat, socrui gratias egit et sponsam reverenter osculatus est.


Ab illo fausto die Iacobulus in hoc viculo caupo fuit et cum uxore laete vixit et multos liberos habuit. At vos, si forte in viculo quodam cauponam adspexeritis cum hac inscriptione: "Apud Iacobulum", intrate et eum orate ut gesta sua ipse vobis narret!

Genovefa Immè



# Aenigma

Quodque aenigma recte solutum RVMORI VARIO missumque ad sortem revocabitur. Mitte solutionem usque ad Kalendas Augustas! Praemia, quae accipiuntur, sunt libri vel libelli.



ad libram

- |  |   |
|--|---|
| 6 ille imperator Romanus, qui religionem deorum pristinorum a christianis spretam renovare voluit (Abl.) | 14 converteret  |
| 13 nota bene (breviter)  | 15 numerus Latinus  |
|  | 16 occultati  |
|  | 18 poeta Graecus, qui comoedias composuit (e.g. Pythone, i.e. Lagona) |

- |   |  |
|---|--|
| 19 mons inter fines Helvetiorum et Sequanorum situs (Gen.)          | 36 avis, cuius e cantu augures vaticinabantur                          |
| 20 parva bestia muribus similis                                     | 38 oppidum Boeotiae, ubi Epaminondas rex Thebarum Spartanos acie vicit |
| 21 qui cenas parat  | 41 qui tesseris ludit  |
| 22 fistulae (Dat.)  | 43 nocens  |
| 23 corona floribus composita  | 44 qua ad spirandum opus est (Gen.)                                    |
| 25 causa vel negotio (Abl.)   | 46 e metallo quodam constans (Gen.)                                    |
| 26 vicus quidam Syracusarum urbis                                   | 47 perturbant acriter  |
| 28 intentione vel elatione vel ascensu                              | 49 particula, quae pronomi- nibus adiungi potest                       |
| 29 inspicere!   | 50 quae usui sunt (Gen.pl.)  |
| 30 lingua Arabica: filius   | 52 convenis  |
| 31 incola cuiusdam urbis in Etruria sitae (Voc.)                    | 54 numerus "11" (signis Latinis)                                       |
| 34 fretum inter continentem Graecam et Euboeam insulam situm (Dat.) | 55 incolis urbis magnae in Italia septentrionali sitae (Dat.)          |

ad perpendicularum

- |   |   |
|---|---|
| 1 titulus dialogi Platonis philosophi                   | 11 rex Troiae (Gen.)  |
| 2 persona principalis tra- goediae Sophoclis poetae     | 12 consuetudinem asciscere- tis   |
| 3 iuvenis quidam, qui in florem mutatus esse nar- ratur | 17 ad matrem Apollinis dei pertinens (Adj.)                               |
| 4 littera alphabeti Graeci                              | 24 quae tibi est  |
| 5 regio praeclara Graeciae                              | 27 hilarate!  |
| 6 qua homines initium vitae degere solent (Gen.)        | 29 tegumentum corporis (Acc.)   |
| 7 fecundus  | 31 symposium  |
| 8 coniunctio Latina di- siunctiva                       | 32 nomen mensis cuiusdam (breviter)                                       |
| 9 ille heros Graecus, qui Medusam interfecit            | 33 ille vir, qui omnium ani- malium binos in navem maximam duxisse fertur |
| 10 fluvius per Florentiam urbem fluens (Dat.)           | 35 patres conscripti (brevi- ter)   |
|   | 37 copulatione  |



39 populus Italiae Aeneam  
advenientem bello perse-  
quens  
40 condimentum bene olens  
41 unus ex iudicibus apud  
inferos (Voc.)  
42 vos conferatis  
45 particula interrogativa  
Latina

47 parvus fluvius in Tiberim  
influens propter cladem  
Romanorum notus  
48 una ex Parcis  
51 pronomen demonstrativum  
Latinum  
53 ...tibi terra levis  
56 non nominatus (breviter)

Hoc aenigma composuit Daniel Weissmann

## SOLUTIONES

aenigmatis, quod vobis in  
RVMORE VARIO 3+4/87 propo-  
suimus, hoc demonstrantur:



<sup>1</sup> F	<sup>2</sup> I	<sup>3</sup> A	<sup>4</sup> T
<sup>2</sup> I	T	E	R
<sup>3</sup> A	E	R	E
<sup>4</sup> T	R	E	S

## Facete lepideque dicta

### De equo religioso

Agricolae, qui equum emit, venditor dixit: "Hic equus valde religiosus est. Si optas, ut eat, dicas: "Deo sit gratis"; sin optas, ut consistat, "Amen" dicas." Pretio soluto agricola equum conscendit et clamavit: "Agedum, i!" Sed equus loco motus non est, antequam ille dixit: "Deo sit gratia." Tum gradu modice citato ire coepit, et agricola

contentus secum cogitans: "Res bene se habet; equus commode regi potest" cursum ad collem direxit. Summum in collem advenerat, cum subito equus aliqua causa territus gradu maxime citato currere coepit et ferocissime per silvam ferebatur. Agricola animo confusus trepidusque exclamavit: "Consiste! Per Iovem, Mehercle, Ave Maria - an quid dici oportet? Consiste, quaeso, mi caballe! Nonne vides nos ibi in praeceps (1) delatum iri? Hosianna, Halleluja, Kyrie eleison, Agnus dei - vae me miserimum! Quid mihi dicendum est, ut equus consistat?" Tandem summo in discrimine agricola meminit et "Amen" clamavit. Equus extremo in margine (2) ante praeceps constitit. Agricola autem periculo evitato animum colligens (3) magna voce exclamavit: "Deo sit gratia!"

- (1) praeceps, -cipitis n. Abgrund  
(2) margo, -inis m. Rand  
(3) animum colligere aufatmen, sich erholen



### De psittaco (1) loquendi perito

In quadam urbe Reipublicae Germaniae Occidentalis (=breviter Germanice:BRD) civi erat psittacus loquendi peritus, qui dicere solebat: "Pereat Kohl!" (2) Cum possessor psittaci timeret, ne incommodis afficeretur (3), si ea res vulgaretur et fama de exsecrationibus psittaci ad aures custodum publicorum (4) perveniret, neve quasi subversor rei publicae suspiceretur, statuit psittacum suum cum pastoris (5) psittaco permutare.

Psittacis permutatis paulo post reapse duo custodes publici in domicilium illius civis venerunt, quia fama certiores facti erant ibi psittacum subversorem esse vota atrocia in gubernatorem rei publicae dicentem. Iussi eam rem inquirere ante psittacum stabant et exspectabant, si avis coram se loqueretur. Psittacus autem placide in cavea (6) sedens et nictans (7) curiose eos spectabat - nondum enim custodes

publicos adhuc viderat - et tacebat. Paulatim patientia custodum publicorum minuta alter psittacum lacessere et ad loquendum commovere conatus dixit: "Per....?" sperans illum dicti sui recordaturum. Sed avis tacebat. Tum custos: "Pereat....?" Psittacus tacere perseverabat. Postremo custos invitus ipse illud dictum sibi horribile auditu integrum repetivit: "Pereat Kohl!" Tandem psittacus locutus est: "Dominus preces tuas exaudiat."

- |                       |   |
|-----------------------|---|
| (1) psittacus, -i     | Papagei   |
| (2) Kohl              | gubernatoris summi Reipublicae Germaniae Occidentalis nomen gentile |
| (3) incommodis affici | Unannehmlichkeiten bekommen   |
| (4) custos publicus   | Polizist  |
| (5) pastor, -oris     | Pfarrer   |
| (6) cavea, -ae        | Vogelkäfig  |
| (7) nictare           | blinzeln  |



Daniel Weissmann

OMNES, QUI RVMORI VARIO SYMBOLAS DIVVLGANDAS MITTATIS, ROGAMUS ....

... ut et nomen et inscriptionem cursualem vestram non modo involucro, sed etiam manuscripto ipsi inscribatis. Involucra enim in domo editoria Rumoris Varii abiciuntur, manuscripta sola a nobis servantur. Cum autem alia ratione facere non possimus: qua via vobis pecuniam pro symbolis vestris Rumore Vario divulgatis anno exeunte transferamus, si nomina inscriptionesque harum auctorum non novimus? Gratias vobis maximas agimus, si huius consilii memores esse velitis, quandocumque nobis scribatis. Valete!

RVMORIS VARIII domus editoria

S O P H I A L O R E N

(Systema sapphicum)

Nomen est gratum, Sophia o venusta:  
dulce mi lymphas memorat fluentes  
insulae et litus tulipis refertum  
auraque munda.

Pulchriorem te Veneris sodali  
filiam non Parthenope creavit  
et tibi texit decoris Sybilla  
filia supremi.

Te plagae fuscam genitam feracis  
qua maris fluctus refluent micantes  
nunc tenet Lutetia quae serena  
tectata recondit.

Ah! Diu prolem cupiit maternus  
sensus aerumnas patiens libenter,  
stirps sed advenit leviora reddens  
pondera vitae.

Haud lepos umquam morietur oris  
nec labri lenis sonitus peribit,  
cum tuas semper teneant opimas  
pelliculae artes.

Florindo Di Monaco

## DE COMPUTATRIS

Tractationis pars altera:

### De constructione deque computandi ratione computatorum

Prima quaestio, quae nobis proponitur, est, quomodo fieri possit, ut numeri et programmata in signa electrica immutentur sive fluente electrico exprimantur. Nam aliter ac fluente electrico nulla computatra computare queunt. Hoc

problema eo solvitur, quod aliud numerorum systema adhibetur ac systema decimale nobis bene notum. Omnia computatra systemate binario nituntur. Igitur non iam decem notae numerales exstant ut in decimali systemate, sed solum duae: zerum et unum, quibus quilibet numerus constituitur. Ut melius cognoscere possimus, quomodo hoc fiat, numeros a zero ad decem primo decimaliter, deinde binarie scriptos comparemus:

numeri decimales:	numeri binarii:
0	0
1	1
2	10
3	11
4	100
5	101
6	110
7	111
8	1000
9	1001
10	1010

Ultima positio ut in systemate decimali tot uno augetur, donec ad maximam notam numeralem pervenitur. Quae nota est in systemate decimali novem, in systemate binario unum. Tunc paenultima positio uno augetur ac in ultima positione iterum zerum ponitur.

Nunc nonnullis exemplis demonstrabimus, quomodo systemate binario utentes sine numeros binarios in numeros decimales convertendo computare queamus. Sequuntur tria simplicia additionis exempla:

1001 (9)	1001 (9)	1011 (11)
+ 10010 (18)	+ 10001 (17)	+ 10011 (19)
<u>11011 (27)</u>	<u>11010 (26)</u>	<u>11110 (30)</u>

Iisdem regulis computatur ac in systemate decimali. Omnes notae in una columna adduntur et ultima summae nota

subscribitur. Si summa plures positiones habet, ceterae ad proximam columnam adduntur et ita porro. Eodem modo omnes computandi regulae, quas ex systemate decimali novimus, in numeros binarios transferuntur.

Nunc scimus, qua ratione computatrum computet. Quomodo autem computatrum fluente electrico ad numeros exprimendos utitur? Quomodo computatrum numeros zerum et unum fingit? Hoc problema facile solvitur:

Unum est: fluentum fluit, zerum est: fluentum non fluit. Quid autem tunc de fluentis fluentibus sive non fluentibus? Computatra connexionibus logicis ad computandum utuntur. Quarum connexionum logicarum tres fundamentales exstant, de quibus nunc pauca dicamus:

NON-conexio:

NON-conexione status fluenti, utrum fluentum fluat necne, in contrarium convertitur:

Si ante NON-conexionem fluentum fluit, post NON-conexionem non fluit:

Si 0 significat "fluentum fluit" et 1 significat "fluentum non fluit", habemus:


NON	
inditum	editum
0	1
1	0

ET-conexio:

ET-conexione duo fluente electrica in unum signum coniunguntur. Hoc eo modo fit, ut signum exeuns solum unum sit, si et primum et secundum fluentum inditum fluit:

ET		
inditum 1	inditum 2	editum
0	0	0
0	1	0
1	0	0
1	1	1

Haec operatio est similis multiplicationi. ET-conexio duobus epitoniis fingi potest hoc modo:




fluentum solum fluit, si utrumque epitonium clausum est.  
(Pro epitoniis in computatris transistra adhibentur.)

VEL-conexio:

Etiam VEL-conexione duo signa indita in unum coniunguntur. Signum editum est unum, si primum vel secundum signum inditum unum est, ergo etiam, si utrumque signum inditum est unum:

VEL		editum
inditum 1	inditum 2	
0	0	0
0	1	1
1	0	1
1	1	1

Haec operatio est fere similis additioni. Etiam VEL-conexio duobus epitoniis fingi potest:



His tribus elementis varie coniunctis omnes calculationes fieri possunt iisque maximae machinae computoriae nituntur.

(Tractatio proximo libello continuetur.)

Robertus Maier et Matthias Heyden

SVBNOTO RVMOREM VARIVM  
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

\_\_\_\_\_


\_\_\_\_\_

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO  
DATVM ALICVI  
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.  
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für mit Rechnung an:)

RVMOR VARIVS  
c/o AKAD  
Postfach  
8050 Zürich

Datum und Unterschrift

Hic solutionem inscribe et chartam mitte!



AZ

8050 Zürich

5+6/87

IDIBVS IVNIIS

MCMLXXXVII



RVMOR VARIVS



RVMOR VARIVS  
c/o AKAD  
Postfach

8050 Zürich

TOMUS 10

FASC. 65